



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio X. Aliqua ex præcedente doctrinâ deducuntur, & resolvuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

§. 2. non. §. Diana p. 4. tract. 3. resol. 13. addens, quando essent opiniones probabiles circa hanc bonitatem, aut malitiam, fas esse quaecumque partem amplecti, etiam minus probabilem.

197. Probatur primò, quia tunc datur periculum amplectendi malum pro bono; illa autem, in quibus periculum pravitatis imminet, Deo non placent, sicut placere debet materia voti, cum hoc debeat esse de meliori bono; ergo &c. Secundò, quia qui dubius est de honestate materiæ promissæ, & non potest hoc dubium vincere, est dubius formaliter de lege, aut voto; siquidem dubitat de essentiali requisito ad illa, necessariò enim requirunt honestatem in materiâ promissâ; sed qui dubius est de lege, aut voto, illis non tenetur; ergo neque sic tenebitur, qui dubius est de honestate materiæ promissæ, quamdiu huiusmodi dubium vincere non potest.

## SECTIO X.

*Aliqua ex precedente doctrinâ deducuntur, & resoluntur.*

198. **H**X hæcenus dictis duabus præcedentibus Sectionibus multa deduci possunt: Primò, qui dubitat, an voverit, juraverit, aut promiserit, ad nihil teneri. Secundò, qui vovit religionem, dubitat tamen, an votum fuerit de religione in communi, aut hujus religionis in particulari, posse quamlibet ingredi. Tertio, qui vovit religionem, dubitat tamen, an voverit se professurum, non teneri ad professionem. Ita P. Soar. de Censur. d. 40. sect. 5. num. 15. & tomo 2. de Relig. lib. 4. cap. 8. num. 7. P. Sanch. de Matr. lib. 1. d. 9. num. 11. & lib. 2. d. 21. num. 33. & lib. 4. decal. cap. 1. num. 16. P. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 314. P. Reginal. P. Rebel. P. Henriq. P. Filiu. P. Fagun. & alii, quos citat, & sequitur Diana part. 4. tract. 3. resol. 10. Siquidem in omnibus his casibus possessio stat pro voluntatis libertate.

199. Quartò deducitur, qui certus est, quod voverit, se non accessurum ad aliquam feminam, dubitat tamen an intellexerit de accessu fornicatio, vel uxoratio, non teneri abstinere à nuptiis; quia possessio stat pro libertate. Ita P. Sanch. de Matr. d. 41. lib. 2. n. 33. Joan. Sanch. d. 43. num. 3. Similiter certus, se vovisse castitatem, aut perpetuam, aut temporalem, & omninò verborum voti immemor, dubitat qualemnam castitatem voverit, solum ad temporalem tenetur, quæ minor est: si tamen recordatur, se expressè dixisse: voveo castitatem: nihil amplius addendo, intelligitur de castitate perpetuâ; siquidem illa verba important perpetuitatem. Ita P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 13. n. 16. quod est verum etiam si homo dubitet de intentione se obligandi; siquidem non præsumitur aliud habuisse in corde, & aliud in ore, ut supra diximus ex cap. Abstr. 11. quest. 3. Non erit tamen hoc votum Papæ reservatum. Ita Diana part. 3. tract. 6. resol. 50.

200. Quintò deducitur, quando quis dubitat, an votum quod emisit ingrediendi religionem cum animo statim exeundi, fuerit per modum unius, aut per modum plurium, judicandum esse per modum unius, sicque ad nihil obligari; siquidem pars una illius voti cadit supra materiam voti incapacem, qualis est egressus à religione; quando autem votum duarum partium illas amplectitur per modum unius, si altera illarum est voti incapax, totum votum est irritum. Ita cum multis aliis P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 16. a num. 74. qui etiam cap. 10. num. 7. Tom. 2.

affirmat, idem dicendum de eo, qui promisit ædificare Ecclesiam, & solum potest ædificare partem, nempe Capellam, nam si dubitet, an hoc promiserit per modum unius, ad nihil tenetur; siquidem in hoc dubio censendum est promittere per modum unius; sicque non potentem ædificare totam Ecclesiam, non teneri ad partem.

201. Sextò deducitur, qui vovit quotidie recitare Rosarium, dubitat tamen, an voverit integrum, posse solam tertiam partem recitare; siquidem etiam tertia pars Rosarium Virginis appellatur. Ita P. Soar. tomo 2. de Relig. lib. 4. cap. 8. num. 7. & cum eo Diana part. 4. tract. 3. resol. 10. Similiter vovens dare aliquas mensuras tritici alicui Ecclesiæ, aut monetas aliquas, dubius tamen, an intellexerit de majoribus, potest minores eligere, nisi ratio suadeat alium fuisse animum illius voventis; siquidem de mensuris, aut monetis est certitudo, dubium autem est an de majoribus, aut minoribus, sicque possessio quoad hoc est pro libertate ex l. Nummus, ff. de Legat. 3. & ex cap. Ex parte, de Censur. & regul. In obscuris, de regul. jur. in 6. & regul. Semper in obscuris, ff. eodem. & ita tenent P. Mol. tomo 2. de Just. d. 258. P. Azor. lib. 11. cap. 20. quest. 2. P. Valent. 2. 2. d. 6. quest. 6. punct. 4. q. 3. & plures alii, quos citat, & sequitur P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 13. num. 8.

202. Septimò deducitur, si quis vovit dare calicem Ecclesiæ, non satisfacere dando æneum, sed argenteum, saltem quoad cuppam superiorem, licet non teneatur dare aureum; siquidem votum debet intelligi de calice apto cultui divino ex cap. Calix, de consecrat. dist. 1. P. Azor. lib. 11. cap. 20. q. 10. P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 13. num. 13. Diana part. 4. tract. 3. resol. 48. Similiter si quis vovit dare elemosynam, satisfacere, (si nullâ assignatâ quantitate vovit) dando quancunque etiam minimam, dummodo sit sufficiens ad veram operis promissi executionem; sic enim Pontifice injungente elemosynâ indeterminatam consecuturis Jubilæum, satis est ut quantumcumque dives parvam largiatur. Ita P. Valent. 2. 2. d. 6. quest. 6. punct. 4. quest. 3. P. Henriq. lib. 7. de Indulgent. cap. 10. num. 7. P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 13. num. 15. qui id intelligit, quando res est omnino dubia.

203. Octavò deducitur, in dubio an quis fecerit votum, aut propositum, non teneri voto, si usus est verbo indifferente ad votum, & propositum, ut si ita dicat: *faciam elemosynam*: aliter tamen dicendum, si usus est verbo de se significante obligationem, ut si dicat: *promitto elemosynam*: siquidem in primo casu, cum verba non indicent votum, nulla in hoc dubio pro voto est possessio: maxime autem in secundo casu: dummodò excipiamus illum, qui monitus in confessione, ut à peccato desistat, respondet, se promittere id facturum; hic enim nullam sibi novam obligationem imponit ex tali promissione, sed solum intendit suum firmum propositum manifestare, cum id subiecta confessionis materia indicet, nisi aliud de expressâ penitentis intentione constet. Ita P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 1. a num. 31.

204. Nonò deducitur, si quis dubius, an vovendo intenderit se obligare sub mortali, aut sub veniali, recordetur, quod alterum ex his determinatè promissit, dubius autem est quale ex his fuerit, solum teneri sub veniali ad votum emissum; siquidem solum tenetur ad minus, ut patet ex dictis: si tamen expressè vovit rem gravem, v.g. Jejunium, obligatur sub mortali. Inferes: Ergo qui certus est de aliqua lege, dubitat tamen, an obliget sub mortali, aut veniali, tenebitur ad illius observantiam sub mortali; cum

cum lex semper sit de re gravi. Respondent concedendo illationem *P. Valent. P. Laym. Sayr.* & alii apud *P. Bard. discept. 6. cap. 2. §. 6.* Negat tamen illationem communis sententia apud eundem *P. Bard. cit.*

205. Nihilominus cum distinctione dicendum iudico, si votum sit de materia, de qua præceptum Ecclesiæ solet obligare sub mortali, tunc etiam sub mortali obligabit votum circa talem materiam emissum; siquidem tunc præsumptio juris stat pro gravi obligatione voti; cum votum obliget ad instar legis Ecclesiasticæ, ut docet *P. Fagun. lib. 1. tr. 4. Quinquag. cap. 6. n. 6. P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 20. q. 3. & cum illis Dian. p. 1. tr. 9. Resol. 22.* sicque accipiendum sit juxta morem Ecclesiæ, quando non constat de expressa intentione votantis; Ecclesia autem circa rem gravem semper intendit graviter obligare. Unde si quis voveat jejunium, licet dubitet, an voluerit se obligare sub mortali, tenebitur sub mortali jejunare.

206. Si tamen votum sit de aliis materiis, in quibus nullum sit præceptum obligans sub mortali, tunc videtur dicendum, solum teneri sub veniali, qui in materia, licet gravi, dubitat, an voluerit se sub mortali obligare ex *Regul. In obscuris minimum est sequendum, de Regul. jur. in 6.* siquidem cum obligatio sit odiosa, in dubio semper debet minor præsumi. Si verò votens intendit se obligare sub gravi, dubitat tamen an materia sit gravis, sicque capax talis obligationis, manet obligatus sub gravi. Patet à simili, nam si legislator intendat obligare sub gravi, in dubio an materia sit gravis, obligatio est gravis; siquidem præsumendum est, superiorem recte materiam expendisse, ut docet *P. Sanch. & alii apud P. Bard. cit. §. 6. n. 6.* ergo idem dicendum de eo, qui intendit se ex voto graviter obligare, etiam dum dubitat, an materia sit gravis.

207. Ut præcedentem, & subsequentem doctrinam melius intelligas, & alia, quæ ex illa inferri possunt, notare debes, dupliciter posse te dubium esse: Primum, quando dubitas, utrum exiveris ab aliqua obligatione, quæ erat certa, & sub qua ad aliquid tenebaris, tunc enim tale dubium non tibi, sed legi, & obligationi favet; sic dubitans in Sabbato, an sonuerit jam duodecima hora post meridiem, non potes comedere carnes. Similiter certus de voto, aut quacumque alia obligatione, dubius tamen, an illam impleveris, teneris ad illam implendum; siquidem in his, & similibus aliis casibus certus de obligatione, pro qua stat possessio, solum dubitas, an ab ipsa obligatione exiveris, ideòque tibi non favet dubium. Ita communis sententia apud *P. Bard. discept. 6. cap. 1. §. 4.*

208. Secundò, quando dubitas, utrum jam intraveris obligationem, sive an jam sit tempus præcepti; aut jam incepterit te obligare; tunc enim tibi, & non præcepto favet ipsum dubium; sic dubitans ferià quintà, an sonuerit jam duodecima hora post meridiem, potes adhuc carnes comedere; siquidem tunc, cum dubites, an intraveris feriã sextam, in qua obligat lex abstinendi à carnibus, favet tibi dubium, & possessio stat pro tua libertate. Ita cum communi *P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 40. P. Laym. lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 4. n. 36. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica. sect. 25. n. 264. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 8. n. 6. P. Fagun. præcept. 2. lib. 1. cap. 10. n. 2. & cum illis Dian. p. 4. tr. 3. Resol. 18.*

209. Dubium tamen est: Utrum dubitans an post duodecimam horam comederit, aut biberit, possit sequenti die communicare? Advertes dubium hoc posse dupliciter excitari: Primum, quando comestio, aut potus est certus, dubitatur tamen, an fuerit post

duodecimam noctis. Secundò, quando dubitatur, non de tempore, sed de comestione, aut potu, ut cum quis ad lavandum se horà maturinã aquam assumit, dubitat, an aliquid degluterit. Negativam sententiam tenent in primo casu *P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 40. P. Agid. de Sacram. q. 80. art. 8. n. 48. Bonacina d. 4. de Euchari. q. 6. punct. 2. n. 7. P. Fagund. 3. præcept. lib. 3. cap. 5. n. 18. Villalob. tom. 1. tr. 1. diff. 21. n. 6. P. Lugo d. 15. n. 44. Philib. tr. 3. de Sacrif. Missæ p. 3. cap. 3. n. 7. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, sect. 25. n. 264. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 8. n. 9. & alii.*

Probatur primò, quia præceptum sumendi Euchariistiam jejunè semper obligat; ergo si accedens ad Euchariistiam dubitas, an sis jejunus, dubitas an præcepto sumendi illam jejunè adverteris; ergo cum pro tua parte nulla sit possessio præcepto antecedens, pro præcepto, cum sic dubitas, standum est. Secundò, quia dubius an sit jejunus, dubitat, an sit dignus; ergo ne indignè manducet, debet probare se esse jejunum; alioqui debet stare pro præcepto.

Probatur tertio, quia qualitas non præsumitur, nisi probetur, ut bene docet *Memoch. Consil. 35. n. 31. Consil. 1. n. 121.* ergo non præsumitur quis jejunus, nisi id probet; sed probare non potest, qui dubius est; ergo &c. Confirmatur, quia unusquisque debet probare fundamentum suæ intentionis, alioqui succumbet ex *l. Ei, qui dicit, ff. de probat. l. Actor, quod asseverat, C. eod. l. Qui accusare, C. de Edend. & erradunt Decius, Consil. 564. n. Soncin. Consil. 12. n. 3. lib. 1. Mascard. de probat. verb. Qualis conclus. 1253. num. 3. & 4.* Sed fundamentum exigentis communionem ab Ecclesia est esse jejunum à culpa in anima, & à cibo in corpore; ergo dum non probat hoc fundamentum, immeritò exigit communionem.

Oppositam sententiam valde probabilem tenent *Joan. Sanch. d. 42. per totam. P. Laym. lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 4. n. 36. Dicastil. tom. 1. de Sacram. tr. 4. d. 9. dub. 17. q. 4. n. 297. Caramuel. lib. 3. cap. 1. d. 1. n. 1355. Bossius tom. 1. p. 2. tit. 1. §. 46. n. 1712. Paschal. de jejun. decis. 445. & 446. Trullench. lib. 3. de Sacram. cap. 6. dub. 5. n. 24. Leand. tr. 7. de Euchari. d. 5. q. 4. P. Tambur. opuscul. de Communionem cap. 2. §. 7. n. 29. Narbona tom. 2. Hora. 12. n. 17. & 18. &c. ex parte P. Lugo d. 15. n. 43. quos citat, & sequitur *Diana p. 3. tr. 4. Resol. 29. & p. 10. tr. 12. Resol. 17. & tr. 13. Resol. 54.* ubi etiam citat *P. Bard. de Conscient. discept. 6. cap. 11. p. 3. §. 2. per totum.* Pro quibus Argues 1. Homo habet ex se libertatem, & potestatem communicandi; ergo ob dubiam comestionem non debet tali potestate privari. Respondeo antecedens esse verum, probata dignitate, ut diximus; non autem sic probare potest, qui dubitat. Patet, quia licet quis habeat libertatem ad suscipiendos ordines, aut beneficium Ecclesiasticum, hoc tamen solum est verum, probata ætate, & legitimitate ad illa requisitis; dum autem dubius est de ætate aut legitimitate, neque ordines, neque beneficium potest suscipere; sicque neque Euchariistiam poterit sumere dum dubius est, an comederit.*

Argues 2. Qui cœnat carnes die Jovis, dubitans an sit 12. hora noctis, non adversatur præcepto jejunii sequentis dici, quia dubium est, an tunc urgeat tale præceptum; ergo etiam talis cœna non adversabitur præcepto jejunii pro communionem, quia dubium est, an tunc urgeat tale præceptum. Confirmatur, quia si quis haberet præceptum jejunandi crastina die jejunio naturali sine alio pror-

sus cibo, & potu, & hodie dubitans, an sit hora duodecima noctis, comedat, talis comestio jejunium naturale non violat; siquidem non intelligitur tunc possidere tale præceptum; ergo neque ex tali comestione reddetur inhabilis ad communionem, ad quam satis est jejunium naturale, quod per talem comestionem non violatur.

214. Respondeo negando consequentiam argumenti, & ad ejus confirmationem dicimus, licet cœna illa non contrarietur præcepto jejunii Ecclesiastici, aut naturalis per se, quia non constat pro tunc tale præceptum esse; contrariari tamen communioni sequendæ, quia communioni, & præcepto certo non communicandi nisi sis jejunus, bene potest contrariari dubiâ comestio. Et ratio diversitatis est, quia aliud est jus acquisitum tollere, & aliud est jus de novo acquirere; ex vi enim præcepti jejunii tollitur homini jus acquisitum comedendi, cum voluerit, hoc autem jus tolli non potest, nisi præcepto certo, & indubitato: at verò, cum homo intendit communicare, beneficium intendit de novo acquirere; non igitur ei irrogatur injuria, si illi non concedatur tale beneficium, dum non probat sufficientiâ, & dignitatem suam. Ita *P. Pal. cit. n. 10.*

215. Argues 3. Conjug, cui dubium supervenit de valore matrimonii, & factâ diligentia, dubium vincere non potest, non obstante tali dubio, potest petere, & reddere debitum, ut supra diximus cum *P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 46.* & aliis apud illum; siquidem ante dubium fuerat in possessione, quod illa uxor erat propria, taliq; possessione spoliari non debuit ob dubium superveniens; sed cui dubium supervenit, an comederit post 12. horam noctis, erat in possessione communicandi; ergo non debet tali possessione ob dubium spoliari.

216. Respondeo negando minorem: conjug enim ob dubium superveniens non impeditur ad petendum, & reddendum debitum, quia antea habuit jus justitiæ acquisitum ad petitionem, & redditionem: at verò, ut sibi sacramenta donentur, nullus habet jus justitiæ acquisitum, sed debet illud de novo acquirere, quod tamen non acquirit, nisi prius probet, se nullum impedimentum habere. Addo, retorqueri posse argumentum, quia licet cuilibet conjugi licitum sit matrimonio copulari, & uti, non tamen licitum illi est, si dubius sit, an habeat impedimentum; siquidem nunquam habuit jus se matrimonio copulandi, nisi probando non esse impedimentum; ergo similiter, licet cuilibet jus habeat sumendi Eucharistiam, non tamen illud habet, quin prius probet se dignum esse; hoc autem probare non potest, dum dubitat, an dignus sit.

217. Argues 4. ex l. si debitor. ff. de Pignori. & ex Regul. In pari. de regul. jur. in 6. melior est conditio possidentis; sed in prædicto casu possessio potius stat pro libertate volentis communicare, quam pro præcepto communicandi servato jejunio, ut probant *Joan. Sanch. & Dian. cit. p. 10. rr. 12. Resol. 17.* ergo &c. Respondeo cum *P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 40.* & *P. Arriaga tom. 3. d. 25. de Altib. human. n. 54.* negando minorem; tunc enim nulla possessio stat pro libertate, quia non fuerat antea in potestate communicandi: imò possessio stat pro præcepto; siquidem certum est esse præceptum de non communicando, nisi sim jejunus, per jejunium autem dubium non liberor à præcepto certo.

218. Argues 5. Si quis, reputans ut omnino certum esse ante 12. noctis horam, comedat, postea verò manè incipiat dubitare, an post mediam noctem comederit, potest in tali casu communicare, eo dubio non obstante; ergo idem dicendum de eo, qui

dubitans, an jam sonuerit 12. noctis, comedit. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in casu supra posito nunquam homo fuit in possessione jejunii, cum dum comedit inceperit dubitare, an esset post duodecimam, consequenterq; an violaverit illius diei jejunium: at verò in præsentis casu incepit a possessione jejunii, & postea primò dubitavit, per dubium autem subsequens nemo extrahitur à possessione bonæ fidei, ut patet in exemplo supra adducto de conjugè, cui supervenit dubium de valore matrimonii.

219. Instabis: Homo ille non fuit in possessione, quod posset communicare; siquidem quando comedit, non habebat possessionem diei sequentis; cum non judicaret adhuc illum advenisse; & tamen eo dubio & possessione non obstante, potest communicare; ergo &c. Respondeo negando majorem; nam homo ille cum primò à cibo cessavit, reputans certò esse ante mediam noctem, & nihil deindè voluit comedere, neque in re comedit; fuit in possessione jejunii, quam etiam sequenti die continuavit, antequam dubium superveniret, sicq; fuit etiam in possessione, ut posset communicare.

220. Urgebis: Sacramentum est in possessione certâ, quod ad illud nullus accedat, nisi jejunus; ergo per jejunium dubium non fit licitus accessus, neque certa obligatio Sacramenti debet per dubium jejunium à sua possessione deturbari, ut supra diximus. Respondeo in hoc secundo casu, & Sacramentum esse in sua possessione, & me etiam esse in possessione jejunii, ut licitè accedam, quam ipsum Sacramentum non labefactat, cum enim hæc mea satisfaciatur Sacramento, illa verò Sacramenti meæ non adversetur, possum ego meâ licitè frui.

221. Inferes: Ergo etiam ille, qui manè os ablucens dubitat, an guttam aquæ deglutiverit, poterit sub eo dubio communicare; siquidem ipse antea erat in possessione, à qua non debet deturbari per dubium superveniens. Respondeo cum *P. Arriaga tom. 3. d. 25. num. 56.* concedendo illationem: talis enim fuit in sua possessione, sicut diximus in aliis materiis, in dubio autem melior est conditio possidentis.

222. Replicabis: Talis homo non fuit in possessione, quod posset communicare; siquidem ad id non sufficit jejunium usque ad horam octavam v. g. quâ os abluit, sed usque ad horam communionis; hanc autem possessionem ille non habuit; ergo &c. Respondeo negando majorem; homo enim ille habuit absolutè possessionem, quod esset jejunus illo die, à qua possessione non debet deturbari per subsequentem comestionem, aut potationem dubiam; ac proindè si manet in possessione, quod sit jejunus, absolutè potest licitè communicare.

223. Advertes primò, supra positam difficultatem procedere in dubio, an sonuerit jam 12. hora noctis, nam si sint rationes probabiles efficientes assensum opinativum, licet cum formidine alterius partis, quod duodecima hora non sonuerit, poteris sequenti die communicare: sicut etiam communicare poteris, si unum horologium 12. horam noctis sonuerit, & comedas, aut bibas, donec aliud horologium sonuerit, dummodò non constet de errore in secundo horologio; siquidem cum diversa horologia habeant se veluti diversè opiniones probabiles, poteris illorum quòdlibet sequi. Ita *P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. num. 40.* *Joan. Sanch. d. 42. n. 18.* *P. Fagun. 4. præcept. lib. 1. cap. 10. num. 3.* *P. Lugo d. 15. n. 45.* *Dian. p. 3. tract. 4. Resol. 36.*

Et p. 4. tr. 3. Resol. 19. & cum illis Leand. tr. 7. de Euchar. d. 5. q. 5.

224. Advertes secundò, horam 12. noctis compleri, prout supra diximus, cum primus horologii pulsus sonuerit; tunc enim judicatur horam fuisse completam, quæ cum non possit unico pulsu indicari, idèd multiplicantur. Unde si quis post primum pulsus comederit, aut biberit, sine dubio non poterit communicare sequenti die. Ita P. Sanch. proximè, Joan. Sanch. cit. num. 19. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica sect. 25. num. 264. Garcia de Benef. tomo 1. part. 5. cap. 1. à num. 524. Villalob. diff. 21. cit. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 8. num. 10.

225. Ex dictis sequitur primò, si quis voveat recitare aliquam orationem, dubitet tamen qualem, satisfacere, si solam recitet salutationem Angelicam. Similiter vovens plura jejunia; seu pluribus vicibus recitare Rosarium; aut aliud quodcumque opus facere, satisfacit, si id bis faciat, ex Regul. Pluralis, 40. in 6. ibi: Pluralis locutio duorum numero est contenta. Ita P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 13. num. 15. Si tamen quis dicat: voveo jejunium, satisfaciet semel jejunando; siquidem sermo simpliciter prolatus intelligitur de primà vice, ut ex jure probat Lara de Capellis, lib. 1. cap. 3. & in obscuris est semper minimum sequendum ex Regul. In obscuris, de regul. jur. in 6. & regul. Semper in obscuris, ff. eod.

226. Inferes: Ergo qui promiserit jejunare, recitare, aut dare elemosynam, vel quid simile, Sabbato, vel tali die hebdomadæ, aut anni, non obligabitur in perpetuum, si dubitet an in tempus determinatum, vel potius in perpetuum voverit. Respondeo negando illationem; nam oratio illa, qua quis ita votum emitteret, in communi modo loquendi habetur pro indefinita, quæ æquipollet universali, significatque perpetuitatem; in dubio autem stat possessio pro intellectu verborum. Ita P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 13. n. 16. ubi dicit, voventem castitatem, teneri ad cõmuniter intellectam, quæ est omnimoda. Et qui certus est de voto castitatis, teneri ad perpetuam, dum non est certus animi sui se obligandi tantum ad tempus; siquidem possessio est pro verbis voti castitatis, quæ perpetuitatem quandam important, ut supra diximus. Sic etiam anniversarium simpliciter relictum, perpetuum erit: sicut & Missa relicta pro singulis hebdomadis, ut docet Lara de capellis, cap. 3. lib. 1. n. 9.

227. Sequitur secundò, non teneri voto illum, qui dubitat, an post pubertatem ratificaverit votum factum ante pubertatem; siquidem tale votum non censetur tunc ratificatum, & confirmatum; poteritque per patrem, aut tutorem irritari. Ita P. Sanchez lib. 4. decal. cap. 32. n. 9. Imò poterit pater votum filii irritare, si dubium sit, an filius post pubertatem emiseric; licet enim votum sit in possessione respectu filii voventis, non ita est respectu patris irritantis, siquidem parentis potestas erat antiquior, poteratque pater votum etiam certum relaxare; ergo dum non constat de hac exemptione à dominio patris, per lapsum ætatis, non est pater privandus suâ antiquâ possessione. Et confirmatur, quia ubi duplex possessio concurrat, potius est antiquioris jus ex Regul. Qui prior est tempore, potior est jure, de regul. jur. in 6. Ita P. Soar. tomo 2. de Relig. lib. 4. cap. 6. num. 1. & lib. 6. cap. 6. num. 4. P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 32. num. 2. P. Arriaga tomo 3. d. 26. n. 57.

228. Hinc etiam sequitur tertio, maritum posse irritare vota uxoris dubitantis, an illa emiseric ante matrimonium contractum: esseque validam irrationem, licet postea constet, hujusmodi vota fuisse emissâ ante subjectionem matrimonii. Ita P. Bard.

§. 29. & 30. & P. Sanchez. proximè n. 2. licet num. 16. id videatur negare quoad secundam partem. Sic etiam valida erit confessio, quamvis dubium sit, an facta fuerit cum metu gravi: aut ante legitimam ætatem; siquidem cum constet de professione, non autem de impedimento, pro illa stat præsumptio, quamdiu contrarium non probatur, ut supra diximus.

229. Sequitur quartò, Si Petrus emitat professionem dubius de ætate, quam tamen reverà habet, professionem esse validam, sed peccaminosam. Ita P. Bard. cit. §. 24. Neque obstat, ut professio sit valida, quòd Prælati, si sciret illud dubium, Petrum non admitteret ad professionem; nam etiam Petrus si sciret hunc pauperem esse suum inimicum, non daret ei elemosynam; & tamen hæc est valida, potestque licitè retineri; siquidem non fuit data sub aliqua conditione. Ita P. Vasq. 1. 2. d. 30. cap. 4. n. 25. & 26. P. Sanch. lib. 4. sum. cap. 2. num. 8.

230. Sequitur quintò, si Petrus emiseric votum non ludenti sub pœna dandi pauperibus unum aureum, dubitat tamen postea, an sibi hanc pœnam imposuerit solùm pro primâ vice, aut toties, quoties luserit, solùm obligari pro primâ. Ita P. Sa verbo Votum, num. 26. Sed obligari toties, quoties, asserit P. Sanchez lib. 4. decal. cap. 22. num. 21. & 22. Melius tamen cum distinctione dicendum judico, si votum sit solùm de pœnâ, ex suppositione tamen ludi: ut voveo dare elemosynam, si lusero: tunc pœna intelligitur de primâ vice; siquidem pœnæ sunt restringendæ: si autem votum sit de ludo simul, & pœnâ, aut solùm de ludo sub tali pœnâ, tunc pœnâ aut cadit sub eodem voto, aut illud sequitur, tanquam accessorium sequitur suum principale; sicque obligat eodem modo, & toties, quoties obligat votum. Ita P. Laym. P. Pal. & P. Bard. cit. & in hoc sensu vera est sententia P. Sanch. cit.

231. Sequitur sextò, si Petrus votum emitat sub multis conditionibus, nempe si pater suus redeat Londino, cum salure, & divitiis, quarum altera postea deficiente, dubitat Petrus, an habuerit intentionem se obligandi tantum impletis omnibus illis conditionibus, hoc secundum præsumendum esse; siquidem de ratione obligationis conditionatæ est, quod omnes illius conditiones impleantur. Ita P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 23. num. 19. 20. & 21. siquidem cum sub pluribus conditionibus sit emissum, dum illæ omnes non implentur, possessio stat pro voluntatis libertate, sicut quando sub una emititur, dum illa non impletur. Quamvis oppositum doceant D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 4. ad finem. Sylvest. verb. Votum, 2. quest. 2. sine, & Tabien. verb. Votum, 2. sine. Ex cap. Verum, de condit. apposit. ex cap. Non solùm, 32. quest. 8. cum tamen neuter textus quidquam probet, nec verbum ad hoc conferens dicat, ut notavit P. Sanch. cit. n. 19.

## SECTIO XI.

### De Conscientiâ dubiâ in materiâ censurarum.

232. **D**IFFICULTAS I. Utrum dubius, an excommunicationem contraxerit, censendus sit excommunicatus? Variæ sunt de hac re sententiæ: Prima absolute sustinet, in hoc dubio censendum esse quempiam excommunicatum. Ita Gloss. final. cap. Consult. de reg. & cap. unico, de scrut. ad finem. Ant. in Cap. Illud, de Cler. excommun. ministr. Card. Clem. 1.